

Daniel Gerdes

**Danielis Gerdesii SS. Theolog. Doctoris, & Ecclesiastae quondam Wageningani,  
Oratio Inauguralis De Docta In Theologia Ignorantia : Dicta D. XII. Julii A.  
MDCCXXVI. ; Cum Decretum Sibi Professionis Theologicae Ordinariae, In  
Universitate regia Duisburgensi, Munus, Publice Et Solenniter Capesseret**

Duisburgi ad Rhenum: Sas, [1726]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816855153>

Druck Freier  Zugang





[Blank paper label on the spine]

*2*  
*1071*



*Fa-1071.*







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



DANIELIS GERDESII

SS. Theolog. Doctoris, & Ecclesiastæ  
quondam Wageningani,

ORATIO

INAUGURALIS

DE

DOCTA IN THEOLO-  
GIA IGNORANTIA

DICTA

D. XII. JULII A. c1010ccxxvi.

CUM DECRETUM SIBI PROFESSIONIS  
THEOLOGICÆ ORDINARIÆ, IN UNI-  
VERSITATE REGIA DUIS-  
BURGENSI, MUNUS,  
PUBLICÆ ET SOLENNITER  
CAPESSERET.



DUISBURGI AD RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.

4.

La-1071

Doctissimo atque Amicissimo Viri Juveni  
In Saint-Aubino in amicitia signam f.



DANIELIS GERDESII

22. Theolog. Doctoris & Pöbelstalls  
quondam Wageningani

ORATIO

IN AUGURIALI

DE

DOCTA IN THEOLO-

GIA IGNORANTIA



COM. DECRETUM


THEOLOGICAE ORDINARIAE, IN UNI-

VERSITATE REGIA DUIS-

BURGENSE, MUNUS,

PUBLICUM ET SOLEMNITER

CAPESSERET.



EDUARDUS W. RHEINUM

Typ. JOHANNIS SAS, Acad. Typograph.



PERILLUSTRI ATQUE GENE-  
ROSISSIMO  
HEROI

JOHANNI  
SIGISMUNDO  
LIBERO BARONI  
DE HEYDEN

ORDINIS NIGRÆ AQUIL-  
LÆ ET S. JOH. EQUITI,  
COPIARUM PEDESTRIUM  
POTENTISSIMI BORUSSORUM  
REGIS GENERALI,

COLLEGII REGIMINIS DUCATUS CLI-  
VIÆ ET COMITATUS MARCÆ  
PRIMO PRÆSIDI,

MUNIMENTI VESALIENSIS  
GUBERNATORI.

&c. &c.



PERILLUM ET  
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO,  
ATQUE CONSULTISSIMO

V I R O

DN. FRANCISCO  
DE MOTZFELD  
JURISCONSULTO  
CONSUMMATISSIMO,  
IN SUPREMO CLIVENSIVM  
FORO, AUTHORITY REGIA,  
COLLEGH JUSTITIÆ  
DIRECTORI.

UNIVERSITATIS HUIUS REGIÆ DUIS-  
BURGENSIS, CURATORIBUS  
MUNIFICENTISSIMIS

OPTIMARUM ARTIUM ET SCIEN-  
TIARUM FAUTORIBUS AT-  
QUE PATRONIS.

ORATIONEM HANC

L. M. Q. D. D.

DANIEL GERDES.





DANIELIS GERDESII.  
O R A T I O  
INAUGURALIS  
DE DOCTA IN THEO-  
LOGIA IGNORANTIA.

---

*Magnifice Hujus Academiæ Rector,  
Excellentissimi, Celeberrimi omnium Facultatum  
Professores.*

*Oraculorum divinorum Interpretes fidelissimi,  
facundissimi, castissimi.*

*Quarumvis scientiarum Doctores Consultissimi,  
experientissimi*

*Cujuscunque demum ordinis & dignitatis Hospi-  
tes Honoratissimi*

*Tuque Studiosæ Juventutis corona florentissima,  
Nobilissima, Generosissima, Amor animæ  
meæ, atque Delicium.*



Atissimum in vita humana, esse,  
scientiarum, indissolubili nexu  
plerunque invicem connexarum,  
amœnissimaque velut catena  
combinatarum, campum; Latiùs  
A etiam,



etiam, decreſcente humana ſapientia, deficientibusque omnibus ad eam ſpectantibus ſcientiis, divinam manare, & per DEUM velut ipſum affluere homini, Sapientiam Theologicam, nemo veſtrum A. O. O. H. diffitebitur. Imbecillitatem tamen omnimodam, quæ vel ex humanæ naturæ, poſt lapſum in primis, peccatiſque ſordidiſſimam labem orbi adſperſam, languore colligitur, atque appetitionum vanitate animadvertitur, impedire plerumque mortales, quo minus, in tanto rerum ac ſcientiarum numero, ad veram rerum ſcientiam pervenire, aut ad ſupremum ſcientiarum eniti poſſint faſtigium; quo minus in abſtruſa illa Sapientiæ divinæ adyta penetrare, & arcana DEI perveſtigare queant, Experientia teſtis eſt, multaque rerum probant documenta.

Habet certe diviniſior Sapientia, ut ſacris ſolummodo intenti paulo altius hoc repetamus, abſcondita ſua, & impervia mentibus noſtris myſteria, quæ luce quidem, & digna DEO luce non ſunt deſtituta, noſtri tamen reſpectu, venerabili ſunt involuta caligine, nulla prioris intuitus curioſitate temeranda;

Eaque cœleſtis hujus ſcientiæ eſt conditio,  
ut



ut quo plus in ea miseri homunciones profecerimus, eo plura à nobis ignorari sentiamus, faterique cogamur, quod, quo plus divinis pertractandis mens humana sibi permiserit, eo minus assequatur sæpissime, quo suarum confidentia virium liberius exultaverit, eo longius à germano ac nativo cœlestium sensu dilabatur.

In humanis cespitamus sæpissime atque cæcutimus, quid dicamus de divinis? In ipsis hæremus minimis, quid de maximis dicamus? Est Infinitus DEUS, idemque incomprehensibilis. Magnus est Dominus, idemque impense laudandus, cujus magnitudo impervestigabilis est. (a) *Numquid investigationem DEI invenies? An usque ad perfectionem ElSchaddai invenies? Nam altior est cœlo, quid facies? Profundior inferno, quomodo cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari.*

Præter hæc vero, mentium angustia, sensuum imbecillitas, mille tædia scrutatoribus devoranda, præjudiciorum vanitas, memoriæ ad arripiendas res divinas tarditas, in retinendis imbecillitas, & in reddendis fidei suæ creditis infidelitas, infinitaque alia non commemoranda,

A 2

da,

(a) JOB XI. 7.



da, stuporis hujus, atque ignorantiaë, origo sunt, atque Principia.

Cum verò in rebus aliis omnibus, sincerum esse oporteat, & dicere, quod res est, nec vana specie seipsum, aut alios deludere, conveniat, homini, veritatis cupidissimo pariter, atque amantissimo, liquido apparet, quam hic sinceros quam maxime oporteat esse veritatis divinæ sectatores; quam dicere debeant, quod res est; quam, ubi certitudo deest, vel evidentia, ingenue potius confiteri, sit laudabile, quam incerta multa & caligine densa involuta scire velle; quam, ubi nonnisi probabili sub ratione nobis cognitum est, quod affirmamus, majorem certitudinis non affectare gradum, aut affirmare decorum sit, nisi de quo certissime sumus persuasi, atque firmissimis argumentis convicti.

*Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem, (a) rationi est consentaneum. Quam bellum est, velle confiteri potius, quod nescias, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere. (b) Nescire quædam, magna pars Sapien-*

(a) HORAT. Art. Poet. v. 143.

(b) CICERO de Nat. Deor. l. 1.



Sapientiæ est. Mirari potius, quam rimari, venerari, quam perscrutari, adorare, quam comprehendere, oportet profunditates DEI ejusque ΑΚΑΤΑΛΗΠΤΑ. *Nescire velle, quæ Magister optimus nescire nos vult, Erudita Inscitia est. (a)*

Spectastis jam per transfennam A. O. O. H. id, quod uberiori Orationis flumine illustrare, in Amplissima, hac atque splendidissima Concionem, si possem, equidem vellem, ut non opus sit, in ipso Orationis limite, longioribus vos detinere.

Spectastis enim, quam multa ignoremus, quam ad Divina plerumque cæcutiat mens nostra, quam Inscitiæ propior sit, quam scientiæ veræ, illa, quam tantopere multi jactant, Scientia, quam DOCTA ac laudabilis, uti in disciplinis omnibus, ita IN THEOLOGIA cumprimis, quædam detur IGNORANTIA.

Constituimus etenim de DOCTA IN THEOLOGIA IGNORANTIA, coram illustri hoc Confessu in auspicatione Muneris hujus, cui singulari Providentiæ divinæ Numine hodie admovemur, hac hora agere; Materiam aggressuri non ignobilem, nec inconveniens

A 3

dispu-

(a) JOS. SCALIGER.



disputationis argumentum, quod luculentius jam paulo pertractaremus:

Quod si enim me ipsum respiciam, cui Theologiam Profitendi munus in hac Academia a Serenissimo atque Potentissimo Borufforum Rege demandatum est, quis diffitebitur? quod veri Theologi optimam nobis vendicaverimus gloriam, quando perspexerimus, & ingenue fateri non erubuerimus, quanta sub nocte nostra dies jaceat, & quantis tenebrarum & Ignorantiæ vinculis in hoc seculo ligati simus, haud cessaturis, donec illa dies venerit, ubi

*Augustum Jubar*

*Dispellet atræ nubilum caliginis,*

*Centumque noctes luce perrumpet sua. (a)*

Ut materiam magis congruam, equidem invenire non potuerim, ex qua simul, velut ex fimbria de texto conjectura solet capi, quid in posterum de me, meisque conatibus habeatis expectandum, judicare possitis:

Quod vero vestram A. O. O. H. concernit Panegyrim, in qua video, quidquid ubique micat collectum, facile mihi de tam insolita, quæ rerum

(a) GROTIUS Pœm. p. 200. in Trag. Heinf.



## O R A T I O.

7

rerum tamen quotidianis constat documentis,  
dicturo, vacivas ac benevolas polliceor aures;

Quanquam enim dicendi Veneres multas  
non habeam, nec verba, *quæ belle tangere pos-  
sint Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore,*  
cum per occupationes, quæ diebus hisce circum  
caput saltaverunt, talia non licuerit operosius  
conquirere, id tamen ut spero operam sum da-  
turus, ut hanc horam si non optime colloca-  
tam, certe, nec pessime deperditam fateamini:

Nolite vero etiam existimare A. H. me tanta  
dicendi pollere virtute, ut illorum instar,  
qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos  
positis vulgari sermone disputant, nihil defini-  
niunt, nihil partiuntur, nihil apta interroga-  
tione concludunt, hæc tractare adgrediar, &  
quæ DE IGNORANTIA hac DOCTA dici  
queant, explicem; Quin potius in certa rerum  
dicendarum capita, hoc quidquid est orationis  
genus, dispescendum arbitror, ut eo felicius  
atque facilius præstitutum à nobis queat absol-  
vi pensum.

*Primo* enim NOTIONES vocabulorum  
evolvere, *deinceps* CAUSAS ruspari, EXEM-  
PLA *tum* suppeditare uberiori copia, LIM-  
TES



TES *postea* ponere, & MEDIA *denique* doctæ huic Ignorantiæ inservientia, præscribere, fert animus:

- I. Primo itaque, ut inde Oratio mea proficiatur, de NOTIONE vocabulorum DOCTÆ IN THEOLOGIA IGNORANTIÆ dispiciendum esse sentio, quanquam infrugifera sæpissime, tædiique plena verborum sit evolutio, necessaria tamen, ut ab incertis certæ discernantur notiones, resque ipsæ, quarum verba signa sunt, in majorem collocentur lucem.

THEOLOGIAM quando appellamus, ejusque vocabuli vim severiore meditatione subigimus, eam dicimus scientiam, vel scientiarum Reginam, quæ, DEUM, ejusque attributa, perfectiones, arcanos consiliorum recessus, decretorumque abdita, opera, vias, præcepta, nostra erga illum officia, viamque, qua æternum in ejus ut Summi Boni communionem beari possumus, sinu suo complectitur, sive illa ex infinitis menti principiis, sive ex divinis hauriatur oraculis;

Hanc igitur non solum præstantissimam esse, atque excellentissimam disciplinam, sed & latissime patentem, atque per omne genus  
scien-



scientiarum diffusam, iisque late imperantem, nemo cum ratione diffiteri auferit; Cumque reliquæ scientiæ circa res finitas vagantes angustis admodum, si ad hanc easdem retuleris, circumscribantur cancellis, *hanc* experiemur, circa eum cognoscendum, colendum, atque amandum versari, qui nullis terminatur finibus, qui omnium perfectionum scaturigo est, & complementum, ad quem omnes quoque scientiæ, si ad debitum dirigantur finem, nos deducunt, quæ huic nostræ ancillantes, ei principatum haud difficulter concedunt; *hanc* experiemur mysterium exhibere, in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt reconditi, omnes divitiæ, quibus peccator dives redditur in fide; Scientiæ, siquidem qui cognoscit DEUM, omnia cognoscat, cum DEUS sit causa omnium; Sapientiæ, quia hic panditur ultimus finis, DEUS scil. in salvatione hominis, Summum Bonum, & communio cum eo, dein via ad eum, nempe Christus.

In his itaque, uti in omnibus aliis, multa, & plura quidem quam in omnibus aliis, ab hominibus non exacte sciri, non adæquate percipi, quin ignorari, atque adeo docte igno-

mi

B

rari,



rari, nemo inficias iverit.

Verum enim vero, cum DOCTAM dicimus IGNORANTIAM Σιδηροξυλον fortassis, & contradictionem in adjecto, nos dicere quis existimabit, mirabiturque, Ignorantem à nobis Doctum vocari, imo Judicabit, præsidium hic sibi Ignaviam invenire tutissimum: Nec diffitemur, A. H. specie non destitui, hoc quidquid est objectionis, facileque primo intuitu apud imprudentes mereri adsensum posse, ita tamen, ut si Ignorantiæ hujus indolem ac naturam modo extricaverimus, sua sponte liquere posse censeamus, quam venustum hoc Doctæ Ignorantiæ sit vocabulum, quam vere talis Ignorans doctus esse ac vocari possit, quam denique nullum hic Ignavia sibi inveniatur præsidium.

IGNORANTIÆ, cum sit, res ignorare, ac nescire, cum porro multarum rerum ignorantia nobis sit noxia, quam exuere, aliarum vero utilis, quam expetere, quemvis oporteat, cum denique sint quædam, quæ nescire, quam scire sit melius, facile patet, Turpem aliam, aliam Honestam, seu, quod eodem redit, Indoctam aliam, aliam Doctam dari Ignorantiam; Turpem & Indoctam earum rerum esse, quæ & sciri



sciri oportebat, & sciri potuerant: Ignorare videlicet ea, quæ de DEI natura & voluntate naturalis docebat ratio, & congenita inculcabant cuius, rerum suarum non incurio, principia; Non advertere porro animum DEO divinitus revelanti, mysteriaque ad salutem necessaria referanti; Non emergere ad pervidenda DEI mirabilia, quæ vel natura pandit latissima, vel Scriptura exhibet exquisitissima; Sibi placere in tenuibus mundi elementis, nihil de ingenii naturali rubigine deponere velle & sim. ad culpabilem pertinet socordiam, inertiamque damnabilem; Talem fuisse sub Papatu plurimorum Clericorum, Talem etiamnum plurimorum esse Laicorum in rebus Theologicis ignorantiam, evidentius est, quam ut à quoquam negari possit, Talem quoque, etiamsi honesto nomine pratexatur, Swenkfeldianorum Literæ Contemptorum, & aliorum Mysticorum, Pietistarum, Fanaticorum, omnem doctrinam Literalem respicientium, inscitiam esse, false non minus, quam eleganter Poëta docuit.

Magne Pater, clamas, *occidit Littera*, in ore  
 Hoc unum, *occidit Littera*, semper habes.  
 Cavisti bene, ne fors te ulla *occidere* possit



*Littera*, nam nulla est *Littera* nota tibi.

Nec frustra metuis, ne *occidat Littera*, eum, quem

Nullus vivifico Spiritus igne fovet.

Atque huic Turpi atque Indoctæ Ignorantiæ nunc nostram è diametro censemus oppositam, Honestam eandem & arguto vocabulo DOCTAM adpellatam, laudabilem, necessariam, atque utilem, *qua Res divinas, earumque rationes, nec revelatas, nec scitu necessarias, nec quæ sciuntur, possibiles, ignoramus non solum, sed & scimus quod ignoremus, & ingenue id fatemur in Sapientiæ divinæ, humana omnia longissime transcendentis, laudem, & imbecillitatis humanæ agnitionem.*

*Res divinas* itaque *Objectum* hujus Ignorantiæ quidem appellamus, & *earum rationes*, A. H. sed in tantum, *in quantum nec revelatæ sunt, nec scitu necessariæ, nec, quæ sciuntur, possibiles*, ut ab una parte pateat, quam necessaria, hic primo sit inquisitio, An DEUS & Quid circa illas res revelaverit? Quousque illud  $\gamma\omega\sigma\omega\nu$  sit &  $\epsilon\eta\tau\omega\nu$ , quousque vero  $\alpha\gamma\omega\sigma\omega\nu$  &  $\alpha\pi\theta\eta\tau\omega\nu$ , cum sine illa disquisitione non Docta hæc sed pura putanda sit Ignorantia; Sicut & ab altera parte  
liquet,



liquet, quam res istæ & earum rationes, quatenus & quousque ignorantur, & sciri non possunt, non vero, quatenus aliqua de iisdem cognoscimus, proprium & genuinum doctæ hujus Ignorantiæ sint objectum, id quod deinceps, quando exempla quædam exhibebimus, quorum non est cognitum, cum non densa sit involutum caligine, clarius perspicietur:

*Formale* etenim Doctæ hujus Ignorantiæ ex descriptione adparet, non in eo solum situm esse, *quod nesciamus* atque ignoremus, quam & hoc formam hujus Ignorantiæ constituat, sed potissimum, in eo, *quod sciamus nos hæc ignorare*, quo pacto ab ignota, dubia, putatitia omni Ignorantia, eandem discerni, nemo non videt, & in eo, *quod ingenue id fateamur*, non sine insignis doctrinæ, quæ se eodem momento ad summum cognitionis humanæ exserere potest fastigium, laude, atque encomio.

*Finem* denique definitio quoque exhibebat, quando *in sapientiæ divinæ, humana omnia longissimo intervallo post se relinquentis, laudem, & imbecillitatis nostræ agnitionem* hæc fieri insinuabat, ex quo nullo negotio præstantia ejus-



dem colligi poterit, atque excellentia, quæ luculentius tamen, longeque illustrius, si causas prius rimemur, exemplorumque intueamur multitudinem, se mentibus nostris, ut confidimus, patefaciet:

II. Si quis enim unde hoc proveniat, atque unde illud fit? quod tam doctè multa ignoremus, quod doctà ea fit in Theologia Ignorantia, & ingenua ejus confessio laudabilis merito vocetur? interroget; Is mecum ascendat ad CAUSAS perlustrandas, quas nullo tamen ordine, velut per saturam, prout se menti nostræ eadem offerent, recensere animus est.

*Se* nemo aspicere potest, quin simul ad principium interiores suos convertat sensus, videatque, quam dotes, quibus pollet, omnes, nequaquam à se possideat, sed ab alio, sui Authore perfectissimo, mutuo acceperit: *Se* nemo aspicere potest, quin simul miserabilem illam in se aspiciat ruinam, in quam nos omnes dejecit primi hominis defectio, quin simul pudenda illa nuditas, ex quo divino spoliati sumus ornatu, immensam probrorum, ignorantia, vanitatis, inopia, infirmitatis, pravitatis denique, & corruptionis congeriem detegat:

*Se*



*Se* nemo aspicere potest, quin tamen etiam simul, obscuram licet, ideam sibi repræsentet, status ante lapsum integritatis, & quales nos prima origine simus conditi, quam cum conditione, qualis ea esse cœperit, post Adami lapsum, sive cum statu corruptionis post lapsum, comparet, & quantum intersit discriminis, persentiscat.

Utrobique tamen, locum habere, quod mirum ac paradoxum cuiquam videri possit, *Doctam* nostram ac Laudabilem *in Theologia Ignorantiam*, censemus.

Et primo quidem in *Statu integritatis*: Quanquam enim ad Imaginem DEI ejusque similitudinem homo fit conditus primum, eaque Imago in integra naturæ humanæ præstantia sita sit, quæ potissimum in mente refulgebat immortalis, ad quam perfecta & statui ipsius conveniens requiritur Sapiencia, (a) per quam, rerum innumerabilium ideis, notionibusque

com-

(a) Ut male sane primi hominis status per *eximiam* describatur tantum *simplicitatem*, cui *ignoratio magis vitiorum* propria fuit, *quam cognitio virtutis*, præeunte Viro Illustri Hug. Grotio de J. B. & P. L. II. c. 2. §. 2. n. 1. cum potius Sapiencia ei perfecta tribui debuerat & statui ipsius conveniens, Perfectissimæ, quæ in DEO refulget, Sapienciæ Imago atque Effigies.



communibus, ceu cœlesti quodam omnigenæ cognitionis semine, imprægnata mens erat, & ex illo innumeras alias veritates cultu quodam suo educere valebat, neque res tantum singulas perspicere, sed & componere inter se plures, & ex quibus quæque orta sit principiis, ad quos tendat fines, quos usus præbeat, invenire indagando & discernere poterat:

Quamquam, inquam, horum quidquam cum ratione negari non queat, nihilo tamen fecius Scientiam hanc primi hominis finitam fuisse, palam est, & non ita consummatam, ut sua non capere posset incrementa, sicut ex revelatione supernaturali multa rationi incomperta eum hausisse, ac haurire debuisse, in confesso est, quæ proinde ante hanc DEI informationem ulteriorem doctè is censendus est ignorasse, ut hic causæ vicem sustineat doctæ hujus Ignorantiæ, Finitus ejus, ac ab omni parte limitibus circumscriptus status:

Veruntamen *post lapsum* cum primis, & ex quo divina hac tantum non omni spoliati sumus imagine, doctæ hæc Ignorantia *primo* quidem *ex ipso illo Imbecillitatis intuitu* provenit, quo, quam curta sibi sit supellex, quam ad Solis  
lumen



lumen cœcutiant oculi, ad jubar cœleste terrestres animæ, quam cœca sit mens & obscurata, ἀνοητος & ἀσυνετος, quam meræ hic regnent tenebræ, non apud illos solum, qui præ ceteris censentur stupidi, sed apud hos maxime, qui longa quoque studiorum assuetudine sapientiæ laudem consecuti sunt, non ignorat homo, saltem ignorare, quando ad se ipsum redit, non potest. Huc pertinet decantatum illud σαρκος φρονημα, (a) cujus vel λειψανα in Sanctis hujus ævi conspiciuntur, cum ceteri, mera sint caro, quod voluntas eorum perperam appetat, & fugiat ea, quæ per carnis aut corporis membra, oculos, aures, manus aut palatum cognosci & percipi possunt, alienati à vita DEI, mortui נבלים ἀφρονες insipientes, mente atque animo corrupti: Adeo ut instar dilapsæ in cineres facis, sunt verba magni Theologi, (b) perierit quod pulcherrimum in homine fuerat, nec quidquam jam supersit, nisi infelicis naufragii tabulæ, & rudera quædam ac reliquiæ, veluti in pictura fugientis imaginis tenues quædam umbræ, quæ non magis imago DEI dici possunt, quam ima-

C

go

(a) ROM. VIII. 6, 7.

(b) BURMANN. Synop. Theol. L. II. c. VIII. §. XV.



go hominis trunca ejus & vetustate exesa in pariete effigies.

Sed, cum propriæ imbecillitatis conscientia nos ita pungi necesse sit, ut in DEI perfectissimi Entis aliquam perveniamus notitiam, ita, cum priori illa doctæ Ignorantiæ causa indivulso velut nexu combinata succedit *altera*, *Suprema Beatissimi Numinis Majestas*, quæ, uti infinitum antecellit omnes res ex se, & per se creatas, ita infinitas possidet perfectiones, planeque est incomprehensibilis, ut, nisi à posteriori, & in quantum DEUS se revelari est dignatus, non sit adspiciendus, cum qui à priori se in hoc profundum demiserit, mergatur & suffocetur; Inprimis, cum se mortalibus, qualis est, plenius & accuratius contemplandum non nisi post hanc vitam præbere, spem fecerit, cum nunc per speculum videamus, visione de facie ad faciem beatis cœlitibus relicta, ubi repurgati à terrena labe oculi Deum intuebuntur, cum nunc ex parte cognoscamus, & ex parte prophetemus, donec advenerit id, quod perfectum est:

Quæ cum ita sint A. O. O. H. quid miramur, si multa nobis in terra degentibus sint ab-



abscondita, quorum Ignorantia desiderium perfectioris status in nobis adaugeat? Cumque in rebus naturalibus etiam multa lateant, quæ juxta cum ignarissimis ignoramus, ad quæ scrutanda non nisi temerario nisu, eodemque incassum recisuro, adspiramus, an immensum illud divinæ Naturæ æquor nobis impervium esse quis pernegaverit? In rerum naturalium, quæ ante oculos sunt, modis, causis, finibus, quam sæpe ad illud, **NON LIQUET**, est confugiendum! quam sæpe dicendum, **IGNORO!** de Officiis cum deliberamus, quam ægre plerumque recti pravique discernimus limites, quam sæpe cœcutimus, & dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellimur, certi quid & explorati constituere nescii! Et, quid Solem hunc divinitatis immensum introspicientibus omnem fere visum extingui mirum videbitur;

Succedit alia doctæ hujus in Theologia Ignorantiæ causa eaque manifestissima, in ipsa *revelationis divinitus factæ ratione* collocata; Id volo A. H. cum Revelatio Mysteria fidei exhibeat rationis limites longe transcendentia, intellectui humano impervestigabilia, & quorum



nec ideas formare, nec jungere, nobis datum est, quæ scrutari, & ex sui ingenii modulo definire, sit audacissimæ præsumtionis, & pæne DEUM redigere in similitudinem & finitudinem rerum creatarum, in his omnibus Modestiam esse & Sobrietatem servandam, divinoque testimonio acquiescendum esse, etiamsi qualitatem rerum imperceptibilium non adtingas, nec ambules in iis, quæ non vidisti; Id quod Paulus, prout multi equidem censuerunt, (a) quando *Intellectum captivari debere sub Christi*

(a) Nec enim hunc 2 Cor. X. 5. locum huc proprie referri debere censemus, cum per *λογισμῶν* in illo saltem loco non tam ratio, vel intellectus, quam *consilia* & mala quidem, ad fraudem composita, *machinationes, insidiæ*, indigentur, cujusmodi adversus Evangelium, & doctrinam Evangelii machinabantur adversarii: Ut sensus sit, veluti eundem latius demonstravit & exposuit Cl. STEPH. VITUS Professor Cassellensis doctissimus, in Bibl. Brem. Cl. II. Fascic. III. §. III. *Quemadmodum, fideles, quæ ipsa ejus lubentissime adponimus verba, πνευματικῆς ἰσχυροῦς ἡ ἐπιβολῆς τοῦ πνεύματος, quæ eleganter Theodoretus Hist. Relig. p. 803. explicat per ἐνυπνωτικῶν ἔπιβολῶν παγίδας, ut hæc, adversarii ad ἰσχυροῦς redactis, contra Evangelii veritatem nihil valeant: Ita, precibus, quæ πρὸς τὸν θεόν Jacob. V. 16. id impetrant à DEO, ut non tantum non obsint Evangelii incremento, quascunque insidias, quascunque machinas admoveat Satanas, sed potius Evangelii rationibus & commodis serviant, obtemperentque.*



*si obedientiam* inculcabat, egregie docuisse videtur.

Quidquid vero etiam sit, ipsa quoque *rerum Theologicarum natura*, atque indoles, causam Doctræ hujus nobis subministrat Ignorantiæ, cum in tam multis Scientiarum cœlestium capitibus, non detur ultra, quod nunc Exempla uberius à nobis exhibenda palam facient; EX- III.  
EMPLORUM enim copia nunc nostræ Orationis potissimam partem constituat necesse est:

Antequam tamen A. H. ipsam illam exemplorum excutiamus farraginem, unicum illud negligere nequaquam possumus, etiam Doctræ hujus in Theologia Ignorantiæ duo potissimum dari genera, quum superabilis alia considerari possit, alia insuperabilis ac necessaria; *Hæc* uti criminis plane expers est, cum ea nescimus, quæ non possumus non nescire, quæ supra nos sunt, & quorum comprehendendorum spes nulla subest rationabilis; Ita *Illæ* non minus tamen labe caret, innoxia est, atque etiam sæpissime fructuosa, cum ea nescimus quæ scire parum prodest, & ad quæ perspicienda infumendum fuisset tempus, ad utiliora & magis necessaria discenda necessarium; Cujus utriusque generis,



ipsa enim hæc veritas nullo indigere videtur argumento, nunc exempla bene multa cumulare adgredimur:

Sive enim rerum credendarum dogmata, prout in *Theologicis* ea traduntur *Systematibus*, sive Locorum Scripturæ explicationem, in quantum *Exegetica Theologia* proprium in iis habet domicilium, sive *Propheticam* contemplemur *Theologiam*, sive *Historicam*, sive officiorum denique agendorum normam, quæ *Moralem* constituit, consideremus, ubique Sapientis hujus Ignorantiæ vestigia deprehendemus non obscura.

Campum jam ingredimur dicendi Auditorum latissimum, eundemque amœnissimum, non tamen ut omnes hic ejus particulas sigillatim percensere, ac flore Orationis convestire constitutum sit, quod longioris opus anhelitus, & meo quidem robustioris foret, sed ut ex eorum, quæ nescimus, doctèque ignoramus, innumerabili copia, quædam feligere mens se deat, de quibus differere, & quæ sibi repræsentare, nec inutile sit nec inconcinnum.

Atque ut hinc primum se efferat Oratio, Quis nescit, quam multa in *Theologia Dogmatica*



*tica* tradantur, ad quæ stupere nostra mens, quæ mirari potius debet quam rimari (a)? Quis si ad beatissimi Numinis, Entis perfectissimi, rerum omnino omnium Authoris, Causæ, Originis, adsurgat contemplationem, non docte nesciat potius, (b) quam ridicule quærat & temerario definiat, *Quomodo A se fit?* Quamquam illud ipsum, quod à se fit, & Idea Entis per-

(a) Egrege admodum hominum in divinis, ultra quam satis est, sapientiam petentium compescuit temeritatem JAMBlichus de Mysteriis Sect. I. cap. XXI. p. m. 37.

Ἄδυνατοι ἄντες αὐτῶν οἱ ἄνθρωποι λογισμῶν τὴν γνῶσιν ἑπιλαβεῖν, νομιζόντες δὲ δυνατοὶ, φερόνται ὅλον πρὸς τὰ οἴκημα ἑαυτῶν τῶν ἀνθρώπων παρῆ, καὶ ἴσθη τῶν παρ' ἑαυτοῖς τὰ θεῖα περμαίρονται. Διαμαρτανῶσι πεινῶν αὐτῶν διχῆ, καὶ διὸ τῶν θεῶν ἴσθη πηπτεσι, καὶ διὸ π τῶν ἴσθη πηπτεσι ἑπι τὰ ἀνθρώπων αὐτῶν παρῆ καθελεῖσι. „Quum homines, quod revera non possunt, posse se credant, cognitionem assequi rationum, quibus sacra nituntur, abripiuntur toti ad suas ipsorum passiones, & ex istis, quæ humana sunt, de divinis conjecturas fabricantur. Ab iis igitur aberrant dupliciter, & quod à divinis excidant, & quod his omisiss ad passiones humanas divinitatem deducant.

(b) Quo sensu AUGUSTINI dictum, DEUM POTIUS IGNORANTIA, QUAM SCIENTIA ADTINGI, accipi debet, scil. per viam negationis melius perveniri ad DEI intellectionem quam affirmationis; Quo sensu CLEMENS ALEXANDR. ἈΚΑΤΑΛΗΠΤΟΝ ΤΟ ΘΕΙΟΝ appellavit. Stromat. Lib. I. & DAMASCEN. Lib. I. c. 4. ἈΠΕΙΡΟΝ ΤΟ ΘΕΙΟΝ ΚΑΙ ΑΚΑΤΑΛΗΠΤΟΝ, & id solum de eo esse perceptibile, quod sit ἈΚΑΤΑΛΗΨΙΑ.



perfectissimi involvat, & clare satis in divinis reveletur Tabulis.

Quis non inutiliter, addo & impie quærat, circa tremendum illud & venerandum maxime Mysterium, quod omnes Sapientiæ divinæ thesauros in se concludit, *quomodo tres sint unum, unumque tres?* (a) quomodo Filius sit à Patre; Spiritusque procedat à Patre & Filio? Paterque Filium genuerit, (b) itemque qua ratione is cum Filio procedere faciat Spiritum, quæ omnia docte sane à nobis Ignorantia insuperabili ignorantur?

Quis

- (a) Quanquam tamen SOCINUS exinde cum affectis maligne admodum contra Trinitatem concludat; Quodsi enim is ostendere vellet Mysterium Trinitatis repugnare Rationi, prius sane ostendere deberet, repugnare id Enti per se Existenti, esse Trinum; Jam vero, cum Entis per & à se existentis ne ideam quidem habeat, perfectam atque adæquatam, f. p. quam iniquum sit, in hoc quidem rerum genere, definire, quid illi Enti repugnet, quid vero non, quam temerarium sit, decidere Trinitatem esse contra Rationem, quam tamen ita clare inculcat Revelatio.
- (b) Pulchre RUFINUS in Expositione Symboli Apostolici ad Laurentium Papam citatus à Rittershusio in Commentar. ad Salvianum. p. 25. *Quomodo sane, inquit, DEUS Pater &c. usque ad, disputare.*

Quod idem prudens pariter atque pium celeberrimi Alexandrinæ Ecclesiæ præsulis ALEXANDRI consilium fuit, qui primus Arrianam hæresin in lucem protraxit atque condemnavit, apud Theodoret. Hist. Eccl. I. 4.



Quis porro in abdita *decretorum divinorum* se immittens secreta, eorum non miratur Æternitatem, non agnoscit Libertatem, non stupet Sapientiam, non palpat Immutabilitatem? quamvis, quomodo cum Æternitate suprema illa componi ac conciliari Libertas queat, nos ignorare potius fatemur, propter angustos limites, quibus circumscripta mens est, propter modum operandi DEI decernentis inconceptibilem, quam ut multis ratiociniis involvamus hæc magis, quam evolvamus, obscura magis reddamus, quam clara atque perspieua?

Ignoramus porro, A. H. & docte & Sapienter Ignoramus *modum*, quo *DEUS* solo nutu voluntatis *omnia ex nihilo*, sine ulla præexistente materia, produxerit, quanquam illud veritati tamen huic officere nequaquam possit, tam clare revelatæ, tam solide ex ipsa rerum creatarum indole demonstratæ, tam egregie cum suprema supremi Entis omnipotentia, conspiranti, ut Lucretianum illud, (a) in prima rerum productione saltem, falsissimum sit

*Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam.*

Πῶς etenim νοῦμεν, κατὰ ποῖον τῶν αἰώνων ἤματι θεῶν, εἰς το μὴ

D

ἐκ φα-

(a) LUCRET. de Rer. Natura Lib. I. v. 151.



ἐκ Φαινομένων τε βλεπόμενα γέγονεαι Hebr. XI. 3.

Et quantum quæso illud est ΒΑΘΟΣ? quantum profiteri cogimur Ignorantiam? ubi *de Providentia DEI*, quæ est impervestigabilis, *de Judiciis ejus*, quæ sunt ἄνεξεργετήτα, *de Lapsu hominis primævi*, *de origine mali*, differendum est, atque disceptandum, ut ad sacram hanc Ignorantiæ sacræ anchoram tutius in his quidem materiis sit confugere, quam longo certamine, atque diffuso, eas definire velle, & deinceps fateri tamen, Incertiores nos esse multo, quam ante:

Quis *Prædestinationis* adoranda mysteria, *Reprobationis* tremendum Judicium, *Electionis* divinæ suspiciendam gratiam, penetrare potest, ut non caligent oculi, fulgorem hunc perferre non patientes? ut non exclamet cum SALVIANO Lib. III. *de Gubern. DEI*. Qua causa  
 „ DEUS hæc ita faciat, nolo à me requiras.  
 „ Homo sum, non intelligo secreta DEI, inve-  
 „ stigare non audeo, & ideo etiam attentare  
 „ formido, quia & hoc ipsum genus sacrilegæ  
 „ quasi temeritatis est, si plus scire cupias, quam  
 „ finaris. „ Aut quis obsecro mortalium defini-  
 „ et, *cur* DEUS unam tantum Gentem, & qui-  
 „ dem Judæos, refractarios vehementer, præ ce-  
 „ teris



teris elegerit olim? *Cur* uni genti adhucdum longe majorem dederit gratiam, quam aliis? *Cur* in urbe Tyro & Sidone non tanta fieri voluerit miracula quam in Bethsaida? *Cur* Ninevitis prophetam miserit, non aliis? *Cur* ex Idolatris Abrahamum vocarit? *Cur* ex persecutoribus Saulum potius, quam alios efficaciter ad Evangelium perduxerit? *Cur* nobis, nobis inquam, qui sub luce Evangelii vivimus, lucem illam præ aliis lucere sinat, cum æque ac alii lucem sæpissime spernamus, dignique essemus, qui in tenebris ambularemus? Ad quæ omnia illud **NON LIQUET** doctissima sane est responsio. (a)

Sed provehimur ad ulteriora *Gratie* mysteria, quæ, uti abscondita fuerunt inde ab exordio mundi, totiusque universi die natali, reve-

D 2

lata

(a) Non inconcinna hic Viri non indocti de docta disputantis Ignorantia incidit ratiocinatio in Bibl. Brem. Cl. V. p. 193. *Si consilia Comici perspicere non licet Spectatoribus sæpe mirantibus, quo res evasura sit, cum tamen in exitu appareat omnes Comici actiones fuisse artificiosissimas, ingeniosissimasque, quanto minus consilia DEI perscrutari poterimus nos homunciones, quorum natura immenso distat intervallo à natura illa suprema! Imo nimis vulgaris foret artifex DEUS, si homines omnes ejus actiones, earumque scopos penetrare possent, cum humani artificis rationes ex. gr. ejus qui horologium conficit & sim. perveſtigare arduum sit.*



lata quidem postremo hoc tempore, atque in suam sunt collocata lucem, ita tamen, ut plurima adhucdum in iisdem & pie & sapienter & docte ignorantur: plurima *εις α* quoque *ἑπιθυμεισιν ἀγγελοι παρεκκυψαι*, (a) quæ prono miseri nos homunciones adoramus silentio. Quis *Redemptoris* hic non docte & sapienter ignorat *Nomen* & omnem Majestatem, quæ propria Nominis vis est, cum sapientissimo Agure, quem Salomonem fuisse non dubitamus, *Quodnam est Nomen ejus & quodnam est Nomen Filii ejus? si nosti.* (b) cum de immensa DEI altitudine differeret, & tam Filium ejus, quam ipsum, incomprehensibilem adfirmaret.

Quis si Personam ejus contemplatur, non miratur, & venerabundo adorat silentio, pie doctam lubentissime profitens ignorantiam, *Unionem illam Hypostaticam?* & qua ratione æternum ac infinitum Numen finitis se circumscribi patiatur carnis humanæ, O ineffabile mysterium! limitibus? qua ratione *λογος σαρξ ἐγενετο?* lubet enim Scripturariis hæc potius explicare verbis, quam humana voce de tremendo hoc adyto balbutire: Quis

(a) I PETR. I. 12.

(b) PROVERB. XXX. 4.



Quis non docte ignorat, & sacro quodam attonitæ mentis stupore expendit, *Passionum* summi Servatoris *rationem*, quas & anima & corpore habuit sustinendas, ut in utroque DEUM glorificaret, peccatum hominis lueret, pœnasque peccato debitas sustineret? Quis grumos illos sanguinolenti sudoris, exque iis ortas preces & supplicationes cum lacrymis & clamore valido, quis ingentem illam perturbationem animæ & angorem usque ad mortem, quis calicem iræ divinæ in eum effusum, quis corporis horrendos cruciatus, dolores mortis, torrentes Belial & quicquid in ultima hora mortis & animam Servatoris & corpus crudelissimum in modum compungebat, contemplatur, & factum id propter iniquitates nostras, atque ut pro nobis peccatum fieret, considerat, qui non exclamet, hoc magnum esse Pietatis mysterium, quod fidem fere, rationem prorsus, superat?

Ne jam mirabile *Exaltationis* mysterium, per quod Christus, ille, & Filius DEI est demonstratus, commemorem, quando vi propria, mortis vincula perrupit, mirabili modo ascendit in cœlos, gloriosa ratione thronum Patris occupavit, quæ omnia uti rationi humanæ sunt



impervia, ita pertinent ad ea quæ vel Agur Prov. XXX. 19. loco illustrissimo, se docte fatetur ignorare? *Tria ista occulta à me, imò quatuor non novi, Viam aquilæ in caelo, viam serpentis in rupe, viam navis in alto mari, & viam viri in virgine:* Ita incarnationem Servatoris, Vitam & Fata tum sua, tum Ecclesiæ, Passiones & Exaltationem, sub emblematicis exprimens locutionibus. (a)

Quis

(a) Nemini mirum videri debet quod Allegoricam hic, non novam illam, sed quæ pluribus jam Viris Doctissimis arrisit, AMBROSIO, LYRANO, CALOVIO, WALTHERO, SALMERONI, RAYMUNDO, CORNELIO A LAPIDE, explicationem hujus loci præferamus, qui ceteroquin à nimia allegorizandi ratione, quam multi sectantur hodie, sumus alieni, cum expositionis hujus nobis constant rationes haud proletariæ: Præterquam enim quod *hujus libri is scopus videatur esse singularis, Παροιμιαζειν,* & parabolice de profundissimis Sapientiæ summæ mysteriis differere, unde & ipse Author hoc genus Scripturæ non Parabolicum tantum vocat, sed *verba quoque sapientum & acumen eorum;* in quibus opus est, ob profunditatem involucrorum, congrua & docta explicatione. *Totum hoc XXX. caput* neminem de eo dubitare finet, qui materiæ gravitatem perpenderit, quæ sub meris hic parabolis sapientissimisque ænigmatibus sepulta propinatur, quod nec ipse quoque Agur studiosus Doctæ nostræ Ignorantiæ §. 3. diffitetur *quando didicisse se sapientiam & scire scientiam sanctorum* negat, quoniam mysteria proponere volebat, quæ mentis acumen excedant, quæque in solidum Spiritui S. ea-



Quis à priori quæso definiverit, nisi à posteriori id sciremus, per revelationem factam, ipsamque redemptoris consummatissimi exhibitionem, & salutis acquisitionem, per *Tria ejusmodi officia*, qualia ille gessit, Sacerdotale, Propheticum, & Regium, salutem debere adquiri? quam partam, deinceps, Spiritus S., tertia in adoranda Trinitate Hypostasis, adplicet? Cum vel nunc, cum revelata sunt, inter *mysteria Christi* de quibus Paulus Coloss. II. 2, 3. ea sint recensenda.

Quis non docte ignorat, quamvis id experientia luculentissime comprobet, fere omnium

*Spiritus*

S. eadem revelanti, accepta essent referenda. Adde quod quando subjectum horum verborum statuimus esse *Filium DEI, Messiam*, id non tam peregrinum sit, quam quidem videri posset, cum *ÿ. 4.* expressa Filii DEI, ejusque nominis imperferutabilis injiciatur mentio; ad cujus contemplationem denuo adsurgit Vir Sanctus. *Ne dicamus*, ceteroquin inter incognita planeque occulta ab Agure hominum sapientissimo viam viri in adolescentula, si carnalem his verbis adfricare velis sensum, recenseri nequidem potuisse quæ, ipsi, naturas hominum perspectas habenti, non obscura esse potuit: *Nam & Jeremiæ XXXI. 22. Patrat Jehovam NOVAM in terra, FOEMINA AMBIT VIRUM* locus, nostro parallelus censeri debet, & clavem suppeditat eidem referendo. Quidquid sit? alii aliam præferant, nos hanc præferimus sententiam; quivis suo fruatur genio, modo fidei non lædatur analogia.



*Spiritus S. effectorum* modos, visibilem ejus effusionem, dona linguarum, miracula ab Apostolis ejus virtute edita, Evangelii cursum, & uno verbo, quomodo, quare, quousque operetur in corda fidelium, efficaciter eadem permovens, mirabiliter ducens, peramanter fovens? Quomodo porro Immortalis DEUS fœdus dici possit inire cum mortali homine, quem pulverem & cinerem novimus, cum *gentes tanquam gutta è situla, & tanquam flos pulvisculi in lance, ipsi reputentur, insulasque is existimet tanquam rem minutissimam?* (a)

Quam non lata hic Orationi meæ pateret area, si in Bonorum Fœderis amplissimam atque jucundissimam me immitterem contemplationem, sine carentem, saltem tam variis ac diversis instructam & floribus & fructibus, ut facilius copia hic obruere quenquam posset dicendi, quam inopia destituere; Quis quæso, ut unum hic & alterum solummodo decerpam, Sacramentalem illam *fidelium cum Christo* mysteriique plenissimam, non miratur *unionem?* sub emblemate *spiritualis* Christi cum Ecclesia *conjugii* propositam Eph. V. 32. circa quam tam docte

(a) ESAI. XL. 15.



docte ac sapienter multa ignorantur, quam salutariter ea ac gratiose cum hominibus juxta liberrimum DEI beneplacitum instituitur? Quis *beatæ glorificationis* dogma introspiciebat, spemque in eandem erigens, non ultro cogitur fateri, oculum non vidisse, nec aurem audivisse, nec in mentem hominis venisse, quæ paravit DEUS iis, à quibus ipse diligitur? quanquam & DEUS quædam retegere de iis dignetur homini se timenti, cum centesima tamen pars occulta maneat, quamdiu ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.

Sed in alterum jam Theologiæ me sponte sua devectorum esse campum sentio, non minus multis Ignorantiæ tenebris obseptum, densaque rerum caligine undiquaque circumscriptum. Nam & in *Exegetica Theologia* permulta docte ac sapienter ignorari nullus diffitebitur.

Quis nescit ipsam *Hebraicæ Linguae* cognitionem, exactam quidem, & omnibus numeris absolutam, non dari, cum vel docte, quæ ejus præcise sit origo, ignoremus, multaque rerum vocabula, eorumque vim, non plene adsequamur, inprimis ea, quæ semel tantum occurrunt, nec repetuntur ullibi? Non inimico hæc A. H.

E

aut



aut in Linguam divinam injurio me hæc dicere animo arbitramini, sed candido potius & veritatis perstudioso: Sit hæc SPINOSÆ (a) aliorumque minus reverenter divinas veritates habentium, mens, conquirere talia, atque effutire, ut ab ejus cultura alios revocent, ut exosam eam reddant, & despiciatui multorum exponant; Nobis longe alia mens sedet, aliæ rationes, cur ingenuam hanc non detrectemus confessionem:

Quis non docte nobiscum ignorat quis *vetitus* ille *fructus* fuerit, vere Eridos pomum, litiumque seges, peccatorum fomes, Protoplastarum offensio? Quis non æque impune, testor omnium vestrum conscientiam, ignorat quodnam fructuum genus fuerit *Rachelis Duldaim*, ac Virgilianus ille Corydon nesciebat, *ubi cœli spatium tantum tres habeat ulnas?*

Quis definiet, ut nulla restet elabendi rima, qualis fuerit piscis *Leviathan?* quale animantum genus *Behemoth?* quid innumera illa *purorum & impurorum* designent animantium nomina? Quænam & qualia proprie Hebræorum fuerint *instrumenta Musica?* & innumera  
ejus-

(a) *Traçtat. Theol. Polit.* p. 92. 93.



ejusmodi alia, quæ in abscondito latent doctæque ignorantur! Aut an quisquam *controversiam* illam HIERONYMUM inter & AUGUSTINUM Patres sui ævi doctissimos, *cucurbitariam*, uti eleganter eam appellat DRUSIUS, decidet, de קיקיון Kikajon Jonæ (a), cujus sub umbra ille magno delituit cum gaudio, fueritne *cucurbita*? quod Augustino, an *hedera*? quod Hieronymo arridebat:

Nam ut verbo, quod velim, explicem, sub hac Doctæ Ignorantiæ specie locorum *δυσοντων* plurimorum explicationem retulerim, inprimis illorum, ubi plures uno sensus, uni loco, æquali cum ratione, convenienti cum analogia Scripturæ, textus circumstantiis, vi phraseos, aptari possunt; In quibus sane omnibus, consideratis accurate omnibus, doctam amplecti præstat Ignorantiam quam incertis abduci conjecturis, atque ineptis sæpe, auctoritatem Scripturæ infringere, saltem præjudicium aliquod atque etiam ludibrium apud externos à fide aliosque Lucianos profanos eidem creare:

Et quis non in *Theologia Prophetica* longe plura Doctæ nos ignorare fatebitur, si veritati

E 2

litare

(a) JON. IV. 6.



litare velit ingenue? Non, quod judicemus, ut Fratrum multi, eo progressi sunt temeritatis dicam an imprudentiæ, nihil certi in Prophetis posse determinari, pleraque esse ambigua, & in utramque partem accipi posse, eo potissimum fulti, si pote, stabilimento, quod non sit *ιδίας ἑπιλευσεως* verbum propheticum (a), & quod, uti ORIGENES alicubi adversus Celsum (b): *Oracula priscorum vatum ὁμολογημένων ἀνιγμάτων περιηρομένα, καὶ λόγων τοῖς πολλοῖς ἀσαφῶν, confessis referta sunt obscuritatibus & sermonibus non cuius perspicuis:* Sed, quod cuius, debita cum reverentia vaticinia sacra perrimanti, hæc constare arbitremur:

Annon ipsi Prophetæ Sæpissime primo intuitu mentem repræsentatorum sibi symbolorum censendi sunt ignorasse? Annon Zacharias, ut uno hoc alterove exemplo illustrem, quum Lychnuchum illum videret aureum, cum suo apparatu, rogatus ab Angelo, *annon intelligeret res visas?* candidè respondisse fertur, doctam fassus ignorantiam? *Non, Domine mi.* Zach. IV. 5. Annon Johannes interroganti cuidam ex viginti quatuor senioribus, *isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt & unde venerunt?*

(a) 2 PETR. I. 20.

(b) Pag. m. 11. edit. Spencer.



nerunt? regeffit ingenue? *Domine, Tu noſti* Apoc. VII. 13. 14. Annon Danieli, divinitus ideo, inculcabatur, *ut occluderet hæc verba, ut obſignaret hunc librum ad tempus determinatum usque?* Dan. XII. 4. Cum ipſe Daniel nonnulla docte ignorare coactus eſt V. 8. 9. *Quumque ego audiens non intelligerem, dixi, Domine mi, quis finis futurus eſt iſtorum? Et ille, abi, inquit, Daniel: nam occluſæ ſunt & obſignatæ hæres, usque ad tempus determinatum.* Annon, ut ſummam contraham, omnia vaticinia ante implementum ferme ſunt obſcuriora? hominibusque ea claritate omnibus partibus non revelanda, quæ ipſorum curioſitati ſatisfaciat? unde ſigillis quibusdam obſignatus videbatur *Liber à Johanne* Apoc. V. 1. quamvis poſt implementum, (ſub emblemate apertionis *Libri & ſolutionis ſigillorum* Johanni propoſitum) clariffima plerumque evadant, ſicque noſtris quoque temporibus caligine rerum futurarum plurima adhuc involuta eſſe cenſeri debeant, quæ poſteriorum temporum evolvat doctrina.

Verum progredimur ad *Theologiam* nunc *Historicam*, viſuri, annon larga & in hoc campo, rerum quæ docte ignorantur, reperiatur



seges? Quis est qui *Errorum Originem*, ac Hæresium cum veterum, tum recentiorum, plene habeat perspectam? cum altis ut plurimum ea abscondita lateat involucris;

Quis *Historiam duodecim Apostolorum* usque ad ipsorum ex hac vita discessum enarrare potest, ut non doctam fateri cogatur ignorantiam? Quis *fabulas* omnes in Historia Ecclesiastica, priorum imprimis seculorum, tam certo discernere novit, à vera rerum gestarum narratione, ut tenebræ hic omnes discutiantur? Aut annon subjudice adhuc lis est, An fuerint vere *Nicolaitæ* (a)? An Johannes *in fervens oleum* fuerit coniectus (b)? An Porphyrius fuerit *Apostata* (c)? An Christus *in numerum Deorum*  
à Ti-

(a) Id est an Secta quædam extiterit Nicolaitarum in Johannis Apocalypsi commemorata? quod pernegant cum Cel. COCCEJO multi; asserunt alii, inter quos Doctiff. eminet MOSHEIMIUS in Bibl. Brem. Cl. I. Fasc. IV. Diff. I.

(b) Conf. Cl. HEUMANNUS qui cum hanc refutasset narrationem in Bibl. Brem. Cl. III. p. 316. & sq. Cl. MOSHEIMIUS in medio eandem relinquendum esse censuit, & recensendam inter eas res, quibus formula illa: NON LIQUET adhibenda est. Bibl. Brem. Cl. IV. p. 34. & seqq.

(c) Conferri potest Epistolarum Tetras Doctiffimos inter Viros Urb. Godof. SIBERUM & Joh. Frider. THOMASIIUM reciprocatarum, quorum alter veram Porphyrii Tyrii



à Tiberio sit relatus (a)? An Constantinus M. *crucem in caelis viderit* (b)? An *Legio unquam extiterit fulminatrix* (c)? & innumera ejusmodi alia?

Tyrii Apostasiam statuit, cum Fabricio, de la Crofio aliisque Viris maximis, alter *επεχειν* mavult, quam hic certi aliquid definire: Miscell. Lipsienf. Tom. I. Obf. XXVI.

(a) Quam narrationem cum fabulosam pronunciaſſent Triumviri doctiffimi Tanaquillus FABER in Epift. L. II. cap. 12. Sam. BASNAGIUS in Exercit. adv. Baron. ad Ann. XXXV. n. 29. & Antonius van DALEN Diff. II. de Oraculis Ethnic. c. 2. defendendam ſibi ſumſit Celeberrimus Bremenfium meorum Theologus Theod. HASÆUS peculiari Diſſertatione doctiffima: *De Decreto Tiberii Imp. quo voluit Chriſtum in numerum Deorum referre.* Erfurti 1715. 4.

(b) Vid. omnino V. Cl. Jo. Alb. FABRICII Exercit. Crit. qua diſputatur, *Crucem quam in caelis ſe vidiffſe juravit Conſtantine Imp. fuiſſe Phænomenon Naturale in Halone Solari,* quam inferuit Bibliothecæ Græcæ Libro V. cap. III. p. 8. & ſeqq. & Jo. Andr. SCHMID. in *Historia Seculi IV. fabulis maculata* Helmſt. 1712. cum Vir Doctiff. Jac. TOLLIIUS in *Not. ad Lactantium* c. 44. De mortibus perſecutorum, rem totam pro aſtuto habuerat Conſtantine commento & ſtratagemate: conf. eund. ad c. 46. & in *Præf. ad Gallicam Longini verſionem.* It. HEUMANNI *Pœcile* Tom. II. Lib. I.

(c) Cujus precibus nimirum impetrata è cœlo pluvia & fulmine Marcus Antoninus Philoſophus Quados & Marco-mannos fertur proſtigatſſe: conf. Cel. WITSII Diſſert. de *Legione κερκυνοβολα* ſubjectam ejus Ægyptiacis & Cl. OBRECHTI Diſſert. de *Legione Fulminatrice* M. Antonini Philoſ. inſertam Volumini Academicorum. Argentor.



alia? Quis, ut unum hoc non prætereamus, *Symboli dicti Apostolici*, cujus tanta tamen in Christianismo est celebritas, *Authores certos* novit indicare, approbatores deinceps, ceterasque loci, & temporis, ubi, & quando, illud primum sit conditum, circumstantias?

Quis non ignorat porro & sapienter ignorat, ut ad Biblicas ipsas revertamur historias, Quis fuerit *Protoplastarum vestitus*? *Quamdiu* in Paradiso manserint? Quibus factis *Christus* *triginta priores vitæ mortalis annos* transegerit? Quis ille *Juvenis* fuerit, qui *findonem* reliquerit? Quis *Emmaunticorum alter*? aut quis ille qui *Petro sociatus*, *eundem in aulam* introduxit Pontificis? Quo mense quove septimanæ die *Christus sit conceptus*? (a) Ad quæ sane omnia NON LIQUET, merito respondemus, sine ulla inscitæ exprobratione, cum Spiritus S. ipse nos jubeat *ἐπεχειν*, nec definiendum sit cum periculo, quod sine periculo ignorari potest.

Sed

tor. 1704. 4. n. XVIII. Itemque Rev. JO. RICHARDSONI Prælectt. Ecclesiast. Vol. I. Præl. XII. Londini hoc ipso anno evulgatas.

(a) Ludicræ sane sunt Menoti & Mailardi de rebus hujusmodi decisiones, & vehementer temerariæ, apud HENR. ETIENNE *Traité préparatif a l' Apologie pour Herodote* Cap. XXXI. XXXII. sqq.



Sed nimis jam exultare Orationem sentio, (a) atque evagari, intra clepsydrae terminos coercendam, unde, si paucis, quæ in *Theologia* quoque *Morali* docte ignorantur excusserimus, hanc finiendam esse Orationis partem judicamus; Nam & hic multa esse abscondita fateri cogimur;

Ne nunc doctam illam commemoremus ignorantiam, quam merito profiteamur, ubi ad plures illas & subtiles Scholasticorum quaestiones, ad quas respondere Sapientum non est, attendimus, in quibus decidendis tamen & definiendis plurimum inutiles illi curiosi impenderunt tempus. *Hic (Magdeburgi) in nostra Bibliotheca habemus Postillam auream (luteam potius diceremus & stramineam) in qua 8000 dubia & quaestiones reperiuntur & resolvuntur, nec*

F

unica

(a) Ceteroquin amplissima disserendi hic se aperiret seges, de *miraculosis Dei operibus*, quorum effecta scimus, causas & modos docte ignoramus, quam in rem egregia sunt ABENEZRÆ ad Numeror. XXI. verba: *Factum hoc erat ex precepto Dei, unde non licet nobis scrutari quid sibi voluerit figura serpentis. Num datur lignum dulcem reddens aquam amaram? Ne mel quidem hoc facit. Aut quæ ratio massam ficuum imponendi ulceribus? nunquam ea medebitur ulceribus. Vera igitur responsio est, DEI scientiam altiore esse, quam ut eam capiamus nos.*



*unica ullius pretii est* verba sunt D. Bakii Exposit. Evang. Dom. P. IV. p. 18.

In ipsis etenim hujus doctrinæ Moralis Theologiæ adytis & sacrariis reperiuntur quorum  $\tau\omega\ \text{ON}$  novimus,  $\tau\omega\ \text{ΠΩΣ}$  ignoramus: *Ventus quo vult spirat, sonum ejus audis, sed nescis, unde veniat & quo vadat, ita est, quisquis est genitus ex spiritu.* (a) Sunt quidem regeniti, quod diffiteri nemo potest, de cœlesti operationum Spiritus in corda ipsorum vi vorticordia operantis origine instituti; Non ignorant, quod amori Patris, quod merito filii hæc accepta sint referenda, cum nihil ex se, omnia habeant ex Spiritu. Sed *Nesciunt tamen unde veniat Spiritus*, qui ex occultis decreti divini thesauris provenit. „ Ignorant quid permoverit, ita „ Magnus Evangelii hujus interpret. (b) DEUM, „ ad tantam gratiam sibi præ tot millibus aliis „ præstandam. Ignorant mediorum & circumstantiarum nexum, quibus Spiritus usus est, „ ad cor eorum convertendum: *Nesciunt* itidem *quo vadat*. Ignotæ sunt illis in futurum „ viæ, per quas ducendi, tentationes, & afflictiones,

(a) JOHANN. III. 8.

(b) Celeb. LAMPE in Joh. p. 581.



„ctiones, per quas probandi, ignotum pon-  
 „dus gloriæ, in quam introducendi. „

Sentiunt sæpissime fideles, quorum, largo  
 compunctionis rore, pectora DEUS diluit, &  
 quorum oculos, collyrio spirituali, protinus de-  
 linivit, & gustant, quanquam plene se non  
 comprehendere, fateri tamen cogantur, quid sit  
 præstantissima illa vis divina? quæ mentibus  
 ipsorum allabatur, quæ novam ipsis vitam in-  
 fundit, quæ missis tenebris novam plenior-  
 que lucem aspergit, quæ totos ipsos vertit, re-  
 generat, mutat, atque transformat; Quid sit  
 Remissio peccatorum liberrime ipsis concessa,  
 & privilegium adoptionis, quo gratiosissime  
 gaudent, & familiare DEI commercium, &  
 spiritus pectori inhabitantis gratia, & amor  
 DEI effusus in cor, & manna absconditum, &  
 suavissima Jesu oscula, arrhabo denique & pi-  
 gnus consummatæ felicitatis? Et quanquam de-  
 licientur merito in iis, atque glorientur, ab-  
 sconditas tamen horum omnium rationes *doctâ*  
 ignorant *ignorantiâ* quæ nullam quidem de re  
 ipsa suggerere potest vel debet dubitationem,  
 efficit tamen, ut *Vita ipsorum* recte dici possit  
*cum Christo in DEO abscondita* Coloss. III. 3.



Aut an quisquam hominum est, qui nesciat, quam Fides, si in comparisonem veniat, cum æterna illa, quæ eam consequitur, mercede, nihil sit, nihilque habeat, quod DEO acceptum esse, aut aliquid promereri coram DEO, dici possit? Et hæc tamen unica est, quis non taciturna veneratione hic suam prodit Ignorantiam! & in crucifixum quidem, ut stultitia DEI hominum sapientiam longissimo superaret intervallo, quæ hominem justificat coram DEO ad vitam æternam:

Quis protinus comprehendit, & non multa in ea deprehendit, quæ doctè Ignorat, mirabilem illam, quam supra jam attigisse me memini, fidelium cum Christo unionem, qua Christo inferuntur? Nam totum illud gratiæ Opus incomprehensibilia exhibet, atque ΑΚΑΤΑΛΗΠΤΑ, quæ summa cum reverentia & ἡσυχίᾳ contemplamur, cum causas, modos, fines, & sim. doctè ignoremus.

*Cur* DEUS quæso summam promissionum suarum uberrimarum sæpissime videtur non implere, & retardare velut? *Cur* parciores hic, alter uberiore gaudet spiritus mensura? *Cur* spirituales sæpe desertiones affligunt fidelium mentes?

*Cur*



*Cur non penitus sub pedibus eorum conculcatur Satanas? Cur coguntur exclamare cum Paulo Rom. VII. 24. Me miserum, quis me eripiet ex isto corpore mortis? Cur alii, via lætitiæ rapiuntur & transferuntur inde à prima vivificatione in communionem bonorum, & vitæ spiritualis, cum aliis, sit transeundum per vallem tenebrarum, in qua plurimam experiantur noctis Imaginem? NON LIQUET.*

Sed jam murmurantes vos audire videor, & tacite forsitan indignantes, nimis exspatiari sermonem hunc, meque contentis Artis Oratoriæ præceptis, Ignorantiæ hujus studio, longius, quam par est, abreptum, breviter igitur ut posthac mea decurrat Oratio, efficiam. Ex definitione etenim, ex Causis, ex Inductione Exemplorum, jam DOCTÆ hujus IGNORANTIÆ PRÆSTANTIA sua sponte colligi posse videtur:

Agite A. & an detur aliquid salubrius Docta hac Ignorantia in rebus Theologicis, quæ captum nostrum superant, atque ad terminandas tot controversias quæ agitantur, orbemque Christianum in innumeras dividunt sectas, accommodatius? contemplamini.



Annon præcipuus contentionum de religione fons est, quod determinare omnia atque decidere velimus, quæ tamen intellectus nostri vim transcendunt, nec determinari possunt aut debent? Annon, cum rationes dissentientium ex utraque parte se offerant ejusdem sæpius momenti, facile patet, sine docta hac ignorantia confessione lites feri in infinitum, confundi-que sæpissime simplicium animos, ut, quid sibi credendum sit, nesciant? cum si quis cordate & ingenue doctam hic professus fuerit Ignorantiam, omnem litium ejusmodi præscindat materiam: Prudenter admodum & egregie magnus ille nostratium Theologus PETRUS MOLINÆUS, limatissimi vir Judicii, cum Romanæ Ecclesiæ corruptionem *ex avaritia & ambitione* maxime derivasset, nostræ religioni infidias à Satana tendi nimia curiositate asserit. *Quodsi, inquit, nobis imperare possemus multarum rerum ignorantiam, & nobis satisfacere- mus ad salutem necessariis, & in rebus non necessariis ferre possemus eos, qui aliter sentiunt, magnam absolvissimus partem in illa ad concordiam via.*

Nam & ambitioni hæc docta est contraria  
 Igno-



Ignorantia, omnibusque iis adversa, qui cœca ambitione ducti, vanam affectant scientiam, atque simulatam, cum doceat, quam DEUS arcanis suæ sapientiæ multam opposuerit caliginem, in quam nefas est irrumpere, ne dum scrutamur majestatem, opprimamur à gloria: Qui πανσοφοι omnia comprehendere suo acumine fatagunt, quasi ipsi DEO adfuissent μεγάλης βελης ἀγγελοι, domi hospites, & tantum non *censores divinitatis* ut Tertulliani utar phrasi, pœnas luant curiositatis hujus necesse est; Pessundedit ea genus humanum, curiositas ambitiosa; Adam dum vult similis esse DEO, cognitione boni & mali, bonum quidem amisit, malum vero suo damno didicit; Nec quicquam ad compescendam effrenem hanc pruriginem salubrius esse docta hac Ignorantia ipsi facili negotio colligitis. PAULUS, rapta in cœlum anima, hoc suo exemplo reluctantes docebit, divitias Sapientiæ & cognitionis DEI longe efferens supra omnem captum hominis, βαθος iis tribuens, imperscrutabilia ejus pronuncians judicia, vias impervestigabiles, tandemque illustri hoc epiphonemate concludens: ΤΙΣ ΓΑΡ ἘΓΝΩ ΝΟΥΝ ΚΥΡΙΟΥ; ἢ ΤΙΣ ΣΥΜΒΟΥΛΟΣ ἈΥΤΟΥ ἘΓΕΝΕΤΟ;

Sed



Sed & superabilem illam Ignorantiam quam leviter antea attingebamus exquisita sua non carere utilitate, pronum est colligere; Qui ad pedes Christi, dum in terris versaretur, ut summam ex eo haurirent sapientiam, Apostoli, sederunt, ubi de fidei necessariis, sermo incidere, audiunt illico; **VOBIS DATUM EST NOSSE**: sed ubi de rebus parum necessariis percontantur: 'ΟΥΧ' ΥΜΩΝ ΓΝΩΝΑΙ: ,, Qui igitur dicunt, dicit fructuosiora, ei non potest vitio dari, ,, quod ignoret sequiora, quæ nisi omissis melioribus discere non licebat, ut prudens alicubi inquit literarum cultor, (a) *Ignorare melius est* ait **TERTULLIANUS** Lib. de præscript. XIV. 4. *Ne, quod non debeas noris, quia, quod debeas non nosti. Quid prodest tibi, alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Vere alta verba non faciunt sanctum & justum, sed virtuosa vita efficit DEO carum. Opto magis sentire compunctionem verba sunt THOMÆ KEMPENSIS* L. I. de Im. Christi cap. 1. §. 3. *Quam scire ejus definitionem:*

Auguror

(a) Cl. HEUMANNUS in dissert. de *Docta Ignorantia* in Bibl. Brem. Cl. V. Fascic. II. n. I. p. 199.



Auguror vero jam A. H. evidentiam causæ, quam disputamus, ultro semet in animos vestros insinuare, ut non opus sit longa argumentorum dinumeratione, sicut neque contra sentientibus, & in speciem quædam objicientibus, os obturare, nunc volupe est, quod aquam propemodum effluxisse sentiam:

Ut tamen intra suos quoque LIMITES contineatur Docta hæc Ignorantia, certosque coëreatur TERMINOS, vel me non monente, IV. justum censebitis & æquum, uti ex ipsa quoque causæ definitione id ipsum deducere proclive foret: Ne in merum scilicet ea *Scepticismum*, aut *Ignorantiæ* transmutetur asylum, neve scientia, latissime per omne genus scientiarum diffusa, judicetur nimis arcte conclusa esse, & intra breve spatium coarctata:

Quanquam enim, in iis, quæ enumeravimus, ferme omnibus, plurima vel ignorentur plane, vel non exasciate satis ab hominibus, quales nunc sunt, cognoscantur, nemo tamen non videt, quam multa atque innumera, antequam eò perveniamus, sciri oporteat, quamque rerum sciendarum theatrum sit amplissimum, quam vita sit brevis, ars longa, ut totum

G

illud



illud vitæ spatium merito perdiscendis impendatur iis, quæ æternum juvare possunt, ut non, nisi adhibitis omnibus ad cognitionem perveniendi adminiculis, recurrendum sit, ad  $\pi$ , OR-  
 ΔEN 'OPIZOMEN. Et MINUCII FELICIS OCTAVIUS recte sentiat; HOC GENERE PHILOSOPHARI ET CAUTE INDOCTOS POSSE, ET DOCTOS GLORIOSE: Sed tractarunt alii hoc argumentum copiose, quo fit ut digito tantum illud attingere in præsens sufficiat.

Quid? quod ex dictis quoque nullo pæne negotio deprehendere possimus, quam *Pyrrhonismus Theologicus*, omnia dubia pronuncians, atque incerta perverso ausu venditans, longissime à *Docta* nostra dissideat *Ignorantia*. Ut nec operoso etiam examine ad denudandam ejus fraudem indigeam, cum, sola attentione adhibita, ilico tota compareat. An à paucis individuis legitime concludes ad omnia? An quod ignoras quædam, non perceptibilia, non necessaria, non utilia, inde efficies rerum omnino omnium incertitudinem? An quod incomprehensibile est tibi, id dubium oppido esse vel plane falsum pronuntiabis? Cum multarum rerum veritatem & ipsi sensus nostri, & experientia,



rientia, & rationis lumen palpandam dant, quæ tamen comprehendere ne acutissimi quidem mortalium possunt.

Ut ista Arcefilæ ceterorumque Academicorum, Platonis in disciplina *διδασχων*, *Ἀίρεσις*, quæ omnia volebat poni in dubio; Nihil certi haberi posse; Quidvis esse *ἀκατάληπτον*; hic meritò exulet; Quam ipse quoque Plato quem *Ἀπορίαν* tamen sæpius, atque doctam hanc inculcasse Ignorantiam, certum est, minime comprobavit: Imo vero, si Ammonio fides est, non ferens *Ἀποροῦντων* de omnibus vesaniam, hoc ipsos constrinxit argumento: *O Viri, dicitis esse omnium ἀκατάληπτον, At, percipitis saltem, esse, ἀκατάληπτον, vel non; Si non, nulla vobis fides debetur, si omnino, ergo saltem datur quædam κατάληψις.*

Quidquamne aliud nunc restat A. H! quam ut discretis doctæ hujus Ignorantiæ atque Ignaviæ, Scepticismi item atque Eruditæ Inscitiæ limitibus, EXPEDIENDAM nunc quoque V. VIAM DOCTÆ huic meminerimus IGNORANTIÆ, & amolienda, quæcunque tanti nobis boni usum intercipiunt. Errorum primam Causam esse, Ignorantiam mensuræ & capacitatis Intellectus, quivis deprehendet. Qui



enim intellectum suum omnia capere existimat, credit necessario illud non esse, quidquid in intellectu suo non invenit. *Prima* igitur tibi, ad Errorem evitandum, eademque ad doctam hanc Ignorantiam perveniendi paratissima erit via, ut cognitionem tui ipsius magis serio studeas, pede tuo te metiri discas, breviculam intellectus ulnulam agnoscas, pensitesque continuo ingenium, dona, vires, ætatem tam naturalem quam spiritualem, sapiendumque esse ad sobrietatem identidem tibi inculces, atque SALOMONIS illud familiare tibi reddas. NE ESTO SAPIENS JUDICIO TUO. Ut tritum illud, ceteroquin non spernendum

ἌΙΕΝ ἈΡΙΣΤΕΥΕΙΝ, ΚΑΙ ὙΠΕΙΡΟΧΟΝ ἘΜΜΕΝΑΙ ἈΛΛΟΝ.

si longius quam par est, protrahatur, hic sæpe, quo minus in hoc Doctæ Ignorantiæ studio laudabili proficias, obstet, Nisi cum SOCRATE fortassis, quod mirificum eo lubentius adduco exemplum, quia sapientissimus is mortalium oraculo fuit habitus, eo te præstare ceteris censes, quod illi quæ nesciant, scire se putent, ipse, te nihil scire, id unum scias.

Doctam quoque hanc expetenti Ignorantiam, proficuum vehementer tibi censuerim, ut,  
vel



vel in propria meditatione, vel ubi alterius scripta legis, & in universum ubi in perscrutandis rebus divinis occupatus es, perquiras sedulo, & investigates, quousque penetrare liceat, (a) ut ea quæ scire nec potes, nec teneris, agnoscas, & ingenue fatearis te ignorare, ut non ultra quam satis est ipsam petas sapientiam. *Adversus regulam nihil scire, omnia scire est*: acute & graviter agebat TERTULLIANUS.

Ut non commemorem, quam ingeniorum luxuriam vel in iis, quæ sciri possunt, quoque *proderit* compescere, ut eo facilius deinceps in iis quæ sciri non possunt, acquiescas, vel ipsa enim illa tacita *contemplatio*, quanta sub nocte nostra dies jaceat quam taciturnæ venerationi & obsequio simplici in rebus divinis locus sit, arbitrio nostro relinquatur nullus, quam ex parte hic cognoscamus, in speculo videamus & æ-

G 3

nigmatem,

(a) Reluctantem vero strenue reprehendet GREGORIUS NAZIANZENSIS: *Quid hæc o Viri, & quamdiu? Non tandem aliquando resipiscemus? non expergiscemus? non erubescemus? non si nihil aliud, hostium certe linguæ, quæ falsa etiam crimina facile affingunt, occurremus? non immodico huic contentionis studio finem imponemus? non cognoscemus, quænam quæstiones à nobis percipi, & quatenus possint, quænam rursus vim nostram & facultatem superent? quænam hujus temporis sint, ac terrenæ confusionis, menti nostræ tenebras offundentis, quænam rursus futuri seculi, & cælestis libertatis?*



nigmate, cum plenaria cœlestium cognitio beatis cœlitibus in futuro sit reservata seculo, non leve ad promovendum hoc doctæ Ignorantiæ studium afferet momentum: Egregium est illud, quod Ægyptius (a) respondit interroganti, *quid ferret obvelatum? ideo esse obvelatum, ne quis sciret, quid esset*, ita sane nos cogitare oportet, quæ DEUS nobis occultat, ideo occultare, ne inquiramus, & eorum ignorationem tam esse nobis salutarem, quam est cognitio rerum, quas revelare nobis voluit.

Nec parum *denique* in eodem hoc proficies studio, si probe jactis, scientiæ divinarum atque humanarum rerum, fundamentis, *assidue Scientiam inædifices*, quo enim plus profeceris, eo facilius, quid desit tibi, & quantis tenebrarum vinculis tenearis & Ignorantiæ, cognosces; Cum non melius percipiatur, quam per Eruditionem Ignorantia, veluti morbus ver vitam & sanitatem, tenebræ per visum optime percipiuntur. Sicut igitur, veri est Theologi, ad perfectiorem semper grassari cognitionem, rationisque imperfectione agnita, Revelationis arcana scrutari,

(a) Apud PLUTARCHUM in Libro de Curiositate. p. m. 516. E. Καὶ τοιγὰ τὸ τῆς Αἰγυπτίας χάριεν πρὸς τοὺς ἐρωτῶντας τι φέρει συγκεκαλυμμένον, διὰ τὸ τὸ συγκεκαλυπταί.



tari, nihilque eorum fusque deque habere, quæ DEUM authorem habere, indubitatis constet argumentis; Ita, quo plura ex verbo DEI cognitu hauserit salutaria, quoque mentem pluribus instruxerit veritatibus, *vetera* in thesaurum suum pariter condens *ac nova*, ad instar *Scribæ illius ad regnum cœlorum edocti*, eo melius viam sibi quoque ad cognoscenda ea, quæ ignorat, sternet, eo facilius ad agnoscenda & humiliter profitemda illa, quæ sibi sunt incognita, permovebitur:

Procul ergo hinc, procul eant, *Ignavi* sub Doctæ hujus Ignorantiæ tegmine immerito delitescentes, & ὀνομασι velut *ωλειπεθροντες την μοχημελιαν*, honestum vocabulum socordiæ prætexentes; Rustica illa esset, & inficeta Ignorantia, quæ quantopere distet à nostra, quam à Theologo sit aliena, satis luculenter comprobavimus.

Procul hinc, procul eant, *Curiosi* quoque nimium ad cognoscenda ea, quæ supra activitatis sphæram sunt posita: Thaleti Milesio, dum astra specularetur, in fossam cadenti, merito sic objectum legimus ab anu quadam subridente: *Miram esse hominum temeritatem, qui ea, quæ ante pedes sunt, non videntes, superna tamen & cœlestia contemplari velint.* Absorptus est ab illa voragine



voragine Plinius, quam propius penitiusque voluit intueri. Subeuntibus divina sacraria, elata voce subjici credamus, illud Prophetæ. *Jehova est in templo suo sancto, sileat à conspectu ejus omnis terra.* Bethsemitæ, dum sacram DEI sedem læti perlustrant oculis suis, periere. Æterni ignes sunt, quos impune attigerit nemo, Inaccessa lux est, obtundit irreverenter introspectantis aciem.

Procul hinc, procul eant, *Impii quoque & Osores rerum coelestium*, qui, uti doctæ hujus Ignorantiæ terminos extendunt ultra terminos, ita dum Ignorantiam venditant, ipsam deserunt scientiam, veræque merito inimici censentur Sapientiæ: Egregie in rem nostram Doctissimus D. KIMCHI in præfat. in Comm. ad Josuam, Magistrorum refert effatum שׂרֵאֵת הַטָּאֵו קוֹדֶמֶת לַחֲכָמָתוֹ חֲכָמָתוֹ מִתְקִיִּמָּתוֹ: וְכֹל שֶׁחֲכָמָתוֹ קוֹדֶמֶת לִירֵאֵת הַטָּאֵו: אֵין חֲכָמָתוֹ מִתְקִיִּמָּתוֹ: *Ea demum firma est, stabilisque scientia, quam tibi acquisiveris, ubi peccatorum prius exueris habitum. Quem nisi deposueris, ad stabilem pervenire sapientiam te posse, ne quæso tibi persuadeas.*

Procul hinc denique, procul eant, *Vani illi atque magno fastu arrogantes, qui sibi ipsi solum sapere*



*Sapere* videntur, omni soli-scientiæ opinione inflati, quos parabolice per suum Antrum depinxisse PLATONEM constat Lib. VI. de Rep. veluti explicat illud & applicat CAMERARIUS Centur. I. cap. 43. 44. Quodsi, vero, quisquis es, qui recta tecum ad Sapientiam Theologicam contendis via, inceserit atque ambitiose impetiverit cupiditas, vel movendi positos in sacris recte terminos, vel te efferendi supra ceteros tuæ fortis homines, atque ultra quam par est sapiendi, revocabit pronum in præceptum gradum quæso Docta hæc Ignorantia, teque cum CICERONE docebit: *Ex ceteris Philosophis (Theologis) Optimum & gravissimum quemque confiteri, multa se ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda*, vel cum PAULO, qui Spiritu tamen Sancto immediate collustratus erat, jubebit: ΜΗ ΦΡΟΝΕΙΝ ΠΑΡ 'Ο ΔΕΙ ΦΡΟΝΕΙΝ 'ΑΛΛΑ ΦΡΟΝΕΙΝ 'ΕΙΣ ΤΟ ΣΩΦΡΟΝΕΙΝ.

Me quod attinet A. H. diffiteri non possum, eò potissimum me, quanquam, tenuitatis meæ ceteroquin apprime sim conscius, sive Naturæ id, sive Educationis, sive Institutionis, sive Gratiæ adscribam beneficio, ambigo, inclinare, ut sobrie res divinas tractem, & cum plurima sint

H

obve-



obvelatæ caligine, confitear potius ingenue intellectus finitudinem, & omnigenam imperfectionem, quam ut temerario me conamine immittam in vastissimum illud & infinitum divinitatis pelagus, in quod, qui se immittunt minus circumspicte, absorbentur & suffocantur.

Hoc itaque, nunc quoque, cum Divinæ Providentiæ placuerit me vermiculum indignissimum in hoc Scientiarum & Bonarum Artium deducere Theatrum, ut Nominis ejus gloriam, viarum ejus decentiam, perfectionum ejus pondus, non illis posthac explicarem, qui ut meri infantes erant tractandi, quibus principia solum & tyrocinia Christianismi, usque & usque inculcanda, sed illis, qui ut futuri Pastores & Doctores erudiendi sunt, & ad altiora, quæ Eruditionem aliquam sapiunt Theologicam, deducendi; Hoc nunc quoque, A. H. pars magna studii nostri erit atque laboris, ostendere, quam à perfectione nos miseri homunciones longissime absimus; quam, id profiteri, Theologi sit ingenui atque modesti; quam salutare sit, Nomen ejus investigare, sed ut sanctificemus, Viarum vestigia persequi, sed ut miremur, Perfectiones intueri, sed ut adoremus, sancteque in earum admirationem ac amorem diripiamur:

Sapientiam igitur quærere diligenter, sed ad sobrietatem, constitutum est; Curiositatem, in attingendis iis, quæ supra nos sunt, quæve velari voluit supremum Numen, deprimere, mens sedet; Impietatem, Erroris omnis lethalis principium atque fulcimentum, Vanumque fastum, ad  
Antrum



Antrum relegare Platicum, studebimus.

Quod cum annitar, uti Sanctissime promitto, tum me POTENTISSIMO, atque SERENISSIMO REGI nostro, nihil fervidius, quam modestos requirenti Theologos, & ejusmodi, qui dum Sapientiae Summae sunt Mystae, propriam, ubi opus erit, agnoscant libenter & profiteantur ingenue, imbecillitatem, quae verissima atque promptissima ad Concordiam in Religione via est, apprime probabo, in cujus me fidem nunc recipio atque clientelam, cum effusa ejus beneficentia, in hoc aetatis flore, me ad splendidum hoc & invidendum Theologi munus in hac Academia, sustinendum, evocaverit; Quam dum memoria tenebo, tenebo autem dum vivam, id mei semper officii esse judicabo, diligenter procurare, ne quid Ecclesia, ne quid haec Universitas, nequid Res Theologica per me capiat detrimenti, neve Regem Clementissimum suae unquam erga me poeniteat benevolentiae.

Ita agens, favorem quoque porro, atque benevolentiam mihi polliceor, Perillustrium CLIVIACI REGIMINIS & hujus ACADEMIÆ PROCERUM, quorum prona in me voluntas in toto hoc resplenduit negotio, cum illi sint, qui Serenissimo Regi ac Domino nostro, Authores extiterunt, ut me, Hominem, nec fama illustrem, nec eruditione excellentem, & vix in Ecclesia DEI nomen aliquod adeptum, nulla arte aut prensatione eam provinciam ambientem, accesserit, idque muneris, cui nunc inauguro, demandaverit, quam pronam vestram Viri Perillustres & Generosissimi, (quos absentes, velut praesentes compello,) in me voluntatem uti submississime exosculor, meque vobis eam profiteor devinctissimum, ita, ut posthac eandem erga me benigniter fervare velitis, est quod maximopere rogo.

Vos autem, in quorum jam consortium clarissimum

H 2

me



me adscisci sentio, & honori duco, Celeberrimi atque Excellentissimi omnium facultatum PROFESSORES, rudem me quidem, & nobilissimi, qui hic perficiendus est, cursus, inexercitatum, in hac arena, recipitis Athletam, sed eorum tamen, quæ ignoro, quæque à vestra in me benevolentia derivari possunt, percupidum;

Quo nomine, me vobis imprimis, Plurimum Venerandi THEOLOGIÆ PROFESSORES, commendo, quibuscum arctior paulisper ob muneris æqualitatem posthac intercedet necessitas, Vos in hac Palæstra Academica, Veterani, me Novitium hunc non respuite, sed strenue depugnantes, vel commilitonem agnoscite, vel illum, qui vestigia vestra, de longinquo quidem, sedulo tamen, exprimere conabitur: Ita ingrediamur simul veritatis viam, tendentes ad eum, qui dixit: Quærite faciem ejus semper.

Vobis denique, devota DEO pectora, spes Patriæ, spes Ecclesiæ, spes Parentum, meum posthac gaudium, atque delictum, quid nunc potius dicam, quam quod tota hæc jam insinuavit Oratio? Me, scilicet, requirere, ab eo, qui Theologiæ se consecravit, multum studii, amplam cognitionem, industriæ specimina non vulgaria, animum deinceps à fastu, à curiositate, à peccati sordibus & inquinamentis repurgatum, castum, modestum, sinceritatem denique in agnoscenda imbecillitate multiplici, & humilitatem, quæ virtutum Christianarum diadema est, atque ornamentum.

Sinite igitur, OPTIMI JUVENES, ut hujus, me, curriculum tam egregii atque gloriosi, & Ducem præbeam, & Socium; Vobis me hodie dico, vestris me commodis & studiis invigilaturum promitto; Vobis viam, quam Dominus patefaciet, aperiam; vobis veritates cœlestes ex verbi divini promo condo fideliter exponam; O si ego multos,  
carif-



carissima pectora, ex vobis, & per vos alios, demum Christo lucrari possem, in quibus, & cum quibus, aeternum ille admirabilis esset atque gloriosus, in quanto id deputarem lucro!

*Ad TE vero, aeternae, infinite, ac Sapientissime DEUS, miseri nos homunciones provolvimur, TUAM imploraturi opem, ut Spiritu TUO posthac nos ducere velis in omnem veritatem, Spiritu TUO compefcere & reframare luxuriantes animi sensus, suppressere turgidum carnalis Sapientiae fastum, disjicere praedjudicia mundana, abigere omne illud, quod se adversus Sanctissima TUA posset efferre placita, Spiritu TUO aperire oculos, ut pulcritudinem viarum TUARUM, atque decentiam recte agnoscamus, & in TUI amorem, atque obsequium, rapiamur toti: Succurre in primis vilissimo servulo TUO, qui nutui TUO obsequens huic se accingit muneri; Eja porrigere novam, porrigere uberiores, quibus quammaxime indiget, quaeque à TE solum, qui verbo TUO spem fecisti, ea potentibus subministrandi, expectat, charismatum mensuram. Porrigere Sapientiae fons, ac scaturigo unica, Sapientiam, non terrenam, non animaleam, non demoniorum illam, quae inflata est, & fastu carnali turgida; sed supernam tuam, quae casta primo, dein pacifica, aqua, morigera, plena misericordia & fructuum bonorum, sine disceptatione & simulatione, illam, quae per abnegationem sui, quae per doctam ignorantiam, precibus junctam, acquiritur, illam, in qua vita aeterna est. Propitius esto huic Academia, Propitius huic Regno, propitius Regi, propitius Regimini, Propitius universae Ecclesiae, etiam ubi Ignorantiae vinculis illa teneatur adhuc & in tenebrarum valle confidet; Da, ut Lux Luna sit ut Lux Solis, & Lux solis sit septupla tanquam Lux septem dierum. Ut plena sit terra cognitione Jehovae, tanquam aquis mare operientibus. AMEN!*

D I X I.



VIRO PLURIMUM REVERENDO  
ET EXCELLENTISSIMO

D. DANIELI GERDESIO  
SPARTAM THEOLOGICAM

Oratione de *Doctâ Ignorantiâ* feliciter  
inchoanti

E L E G I A.

Thomas à Kempis l. i. c. i. Quid prodest tibi alta de Tri-  
nitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas  
Trinitati? Et ibid. c. 2. Noli altum sapere, sed igno-  
rantiam tuam magis fatere.

**C**elsius, Uranie, caput infere nubibus ipsis,  
Et celer impavido sub pede linque solum.  
GERDESIO properanda meo nova carmina, Musae;  
Carmina GERDESIO sunt properanda meo.  
Nectaream solvit cui docta Modestia Suadam,  
Cui Pudor Actaeis illinit ora favis.  
Jam nova dicuntur, sed non nova; qualia scivit,  
Cum populus simplex, cum novus orbis erat.  
Livor in aeternum quò tendere sordidus alas,  
Carpere delirus quod Furor ipse nequit.  
Simplicitas docta est; Venti tumor omnis ineptum  
Vesicâ crepitum dissiliente facit.  
Simplicitate nihil sublimius; audiat Eos,  
Audiat omniscii solis utrumque latus.  
Hellas, & Ausonii conspirat Apollinis aedes,  
Olfacit extremo cum Garamante Cilix.  
Ventosi nihil est; nihil est, nisi pura Sereni  
Aura, relegatâ nube, quietis amans.

Lux



**Lux** nova, discusso tranquilla crepuscula fumo,  
 Purgari spurco caepta vapore dies.  
**Aurea** temperies affectibus invia foedis,  
 Turbida quam nunquam misceat unda freti.  
**Unde** tot horribiles fremitus, tot in orbe tumultus  
 Tartareae sevit litis avara manus?  
**Pegaseo** quoniam sublimia quaeque volatu  
 Scandere, coelestes & violare domos,  
**Flammantique** oculo *furiosum* dicere *Dixi*  
 Audebat, proprios caeca vel ante pedes.  
**O Samos!** O Samiae crudelia jussa cathedrae!  
 O duo verba feri pectoris, ἄντις ἕφα!  
**Quàm** nimis extenso penitus brutescere voto  
 Vidimus Antiquos, & quoque saepe Novos!  
**Bellerophonta** vide temere nimis alta petentem,  
 Excussus rapido quàm cadat aeger equo;  
**Nunc** quoque tot seclis campo miserandus Aleo  
 Ipse suas clades stultitiamque fleat.  
**Quis** nisi Porphyrion coeli ferit astra, minaxque  
 Rhoetus & Enceladus, terribilisque Mimas?  
**Dissuadete,** precor, feritatem! musca lucernam  
 Involat obstrepitans, nec memor ipsa sui.  
**Fallor?** an ambustis plectenda sonantibus alis  
 Bombilat, & gyros mox peritura rotat?  
**Horror** habet mentem; trepidi spectate sodales,  
 Jam meus in toto pectore fervor abest.  
**Jam** calor & gelidus rapiunt praecordia torpor,  
 Viribus ille suis, viribus iste suis.  
**Nuda** Dei facies cuiquam videatur, Amici,  
 Visa cui tergi pars prope nulla fuit?  
**Extremis** digitis quaedam tetigisse pudico  
 Sufficit, & rapidas continuasse rotas.  
**Ite** citi currus! toto volat aequore campi  
 Impetus; Automedon, tu tua lora tene.  
**Lora** tene, moneo; lorum tenuisse juvabit,  
 Ne tuus in praecipitatus cursus & error eat.

Hoc



Hoc age, si quid agis, ne quid nimis; alta modestè,  
 Et castigato verba timore refer.  
 Igneus Amramides, stupuit quò barbara viso  
 Cum Pelusiæ Memphæos ora vadis,  
 Cui fumos inter, fremitusque & fulgur & ignes  
 Sunt data legiferae iussâ tremenda Sinae,  
 Quem bene rimantes excepto novimus Uno  
 Non se majorem, non habuisse parem,  
 Abjectis nimium votis properantibus ultrò  
 Lentius exemplo nos docet ire suo.  
 Haec TUA, verborum nisi ludor imagine falsâ,  
 Dicta piè nuper, nunc bene scripta volunt,  
 Æmule, GERDESI, summorum, Care, Virorum,  
 Quem Charites digitis expoliere suis.  
 Cura Palaestinas cui praebeuit improba gazas,  
 Quasque vetus Latium, quas vetus Atthis habet.  
 Sobrietate paras cum tradere maxima tali,  
 Plurima jam dudum te didicisse probas.  
 Quae nequirit multis triconum natio seclis  
 Discere, plus nullis quàm peregrina sibi.  
 Ingenuâ parvas vires gravitate fateri,  
 Hoc decus, hic summae Cognitionis apex.  
 Hoc disci potuisse, & non potuisse negari,  
 Crede mihi, magni est pectoris illud opus.  
 Nec valet hoc, nisi mens divinior, aetheris alti  
 Conscia, magnanimæ simplicitatis amans.  
 Qualem TE miror, mirabunturque Sodales,  
 Quos habuisti, & habes, quos habiturus eris.

*Ex animi sententiâ p.*

JOH. HILDEBR. WITHOFIUS,  
 Histor. Eloquent. & Græc. Ling.  
 Profess. Ord. h. t. Acad. Rector.

Pag. 9. lin. 2. pro *auferit*: lege: *ausus fuerit*.















